

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 5018

**Auteur(s) :** Innocent II [pape]

**Bénéficiaire(s) :** Lisors, Notre-Dame de Mortemer (abbaye, abbé)

**Genre d'acte :** bulle

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1142, 4 janvier

**Lieu d'émission :** Latran

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Innocent II prend l'abbaye de Mortemer sous sa protection et ratifie les biens de Mortemer, notamment la vallée de Mortemer, Beauficel[-en-Lyons], Bosquentin, La Pommeraie ; ratifie la sentence donnée par Hugues, archevêque de Rouen, contre les moines du Pin ; donne à l'abbaye la franchise de la dîme de l'abbaye de Mortemer.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Ramackers Johannes, *Papsturkunden in Frankreich*, Neue Folge 2 Normandie, Göttingen, Vandenhoeck & Ruprecht (Abhandlungen der Gesellschaft der Wissenschaften zu Göttingen. Philologisch-historische Klasse, 21), 1937, 2 vol., n° 15, p. 71-72.
- b. Gallagher Philip Francis, *The Monastery of Mortemer en Lyons in the Twelfth Century*, its History and its Cartulary, Thèse, University of Notre-Dame, Indiana, 1970, 375 p. (dactyl.), « The Cartulary of Mortemer – B. N. MS. Latin 18369 », Act 5, p. 191-193.

### Indications

Jaffé Philippe, Wattenbach Wilhelm, *Regesta pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII* 2<sup>e</sup>éd., Leipzig, Veit, 1885-1888, 2 vol., n° 8188, t. 1, p. 900.

Texte établi d'après b

« Privilegium domni Innocentii pape III (sic). »

[I]nnocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis Ade abbati de Mortuomari eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regulariter substituendis in perpetuum. Desiderium quod religionis propositum et animarum salutem pertinere monstratur animo nos decet libenti concedere et petentium desideriis congruum impertiri suffragium. Eapropter, dilecti in domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus et beate Dei genitricis Marie monasterium de Mortuomari in quo divino mancipati estis obsequio sub beati Petri et nostra protectione suscipimus et presentis scripti privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium in presentiarum iuste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum largitione regum vel principum oblatione fidelium seu aliis iustis modis Deo propicio poteritis adipisci firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis. Vallem videlicet ipsam Mortuimaris in qua ipsum monasterium situm est cum suis pertinentiis ; terram quam habetis in landa de Belfussel et heremitagium de Boscentin cum CXL acris terre ad excolendum, terram de Pomaria cum granceis et omnibus suis pertinentiis, libertates quoque immunitates et omnes consuetudines et

quicquid vobis a bone memorie rege Henrico in ipsa foresta vel in quibuslibet aliis locis rationabiliter concessum est et venerabilis fratris nostri Hugonis Rotomagensis archiepiscopi scripto firmatum est vobis nichilominus confirmamus. Sententiam vero que adversus monachos de Pinu a predicto fratre nostro H[ugone] archiepiscopo et ecclesia Rotomagensi de ipso loco vestro canonice lata est ratam et inconvulsam perpetuis temporibus manere sancimus. Sane laborum vestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus omnino clericus sive laicus decimas a vobis exigere presumat. Si qua igitur ecclesiastica secularisve persona in futurum hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo terciove commonita si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a sacratissimo corpore et sanguine domni et redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta servantibus sit pax domni nostri Iesu Christi quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum iudicem premia eterne pacis inveniant. Amen. Data Lateranam per manum Gerardi sancte Romane ecclesie presbiteri cardinalis et bibliothecarii II nonas ianuaris, indictione V, anno dominice incarnationis dominice M<sup>o</sup>C<sup>o</sup>XL<sup>o</sup>I<sup>o</sup>, pontificatus vero domni Innocentii pape II, XII<sup>o</sup>.